

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Nicolai Alardi, Pastoris Steinbeccensis, Bibliotheca Harmonico-Biblica

Alard, Nicolaus

Hamburgi, MDCCXXV

VD18 10490701

Caput II. De Judaeis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17504

sti visceribus &c. Frater G. humilis servus. Item Concordia testimoniorum de epistolis S. Pauli à B. Gregorio Pont. MSt. Vid. *Eryci Puteani* auspicia Bibl. Lovan. p. 125.

CAPUT II.

De Judæis.

Judæis a plurimis retro seculis concredita esse Oracula Dei, Paulus Rom. III. 1. testatur, quæ quoad vetus Testamentum ab Antilogiarum labe haud infelici successu nonnulli purgavere. *Ebraei enim*, inquit B. D. Aug. Pfeifferus Hermen. S. p. m. 190. f. *ἐναντιοφαινόμενα* & alia dubia textualia ex longo rerum usu nonnunquam satis feliciter expediunt. Huc spectat monitum *Christ. Cartwrighti* in Epist. Dedic. libri annotat. in Exodum ad Jac. Ufferium Armachanum: „ Ut in omne genus Scripto- rum, ita & in Rabbinis delectus est habendus: alia namque Talmudicorum, alia commentario- rum est ratio - - - quin & commentarii, quos vocant *Peruchim*, ab iis, qui *Midraschim* nuncupantur, longe sunt diversi - - - Nam mystici illi commentarii, quos vocant *Midraschim*, ineptiis sæpe inferti sunt; at Expositio- nes, quas appellant *Peruchim*, ab insulsis istius- modi commentis plerumque immunes esse ap- paret. Imo ex Hebræis sunt, qui præter quam quod ex Hebraicarum literarum peritia pluri- ma tradant, quæ vix ac ne vix quidem alibi re- periantur, adeo in sacri textus sensu investigan-

„do, (Prophetias, quæ Christum spectant, exci-
 „pio) & in difficultatibus, | quæ occurrunt, expli-
 „candis, sanos, sobrios, acutos ac diligentes sese
 „exhibent, & inter optimæ notæ expositores non
 „immerito numerantur.“ Procul dubio autem
 inter Harmonistas Judaicos primas tenent:

R. Don Isaac Abarbanel, qui in universam Scri-
 pturam commentatus, & per totum contextum
 boni Harmonici munere functus est, ut inspicien-
 ti extra omnem aleam positum esse autumo. Hinc
 B. Jo. Meyerus in præf. ad Seder Olam: „Inter ce-
 „teros Hebræorum interpretes ingenii subtilitate
 „& eruditione excellit *Is. Abarbanel*, qui vere dici
 „potest desuisse nugari, quod de Maimonide olim
 „dixit Scaliger. Nemo *δυσνόητα* & *ἀπορα*, quæ
 „insolubilia dici solent, feliciter solvit Abarbanele,
 „quo nomine ille optime meretur de sacris lite-
 „ris &c.“ Cui gentem, vitam & scripta Abar-
 banelis, horumque editiones & elogia legere vo-
 lupte est, is adeat S. R. *Wolfii* *Bibl. Hebr.* P. I. p.
 627. f. sq.

R. David Kimchi. Hic itidem commentarios
 Biblicos vastosque edidit, postmodum a *Salomone*
ben Melech in *מכלל יופי* contractos, in quibus
 teste pie demortuo D. *Aug. Pfeiffero* *Dub. vex.* p.
 m. 521. Antilogias diligentissime annotavit.
 Editiones, & quæ plura huc spectant, exhibet
Ven. Wolfius l. c. pag. 299. sq.

R. Schemuel Laniado, egregius conciliator, a
B. Pfeiffero *Hermen. S.* p. 190. sq. laudatur. Quæ
 lite-

literis consignavit, Rev. *Wolfius* recensuit suo loco p. 1170. e quibus nostro tantum instituto inseruit, Schemuelem nostrum in Commentario in Prophetas priores, כלי יקר dicto, perpetuo contradicere Abarbaneli, non tam veritatis erudendæ, quam ingenii ostentandi causa; judice *Jo. Buxtorfio* in Exercitatt. p. 234. & postea *Jo. Bened. Carpzovio* in Disput. de Sepultura Josephi §. 25.

R. Menasse ben Israël, omnibus suæ gentis in hoc studiorum genere præferendus. Scripsit conciliatorem, seu de convenientia locorum sacrae Scripturae, quæ pugnare inter se videntur, opus, ex vetustis & recentioribus omnibus Rabinis, magna industria & fide congestum, partibusque IV. constans, quarum prima Pentateuchum, secunda Prophetas priores, tertia Prophetas posteriores cum accessionibus ad P. II. quarta Hagiographa & reliquos Scripturae sacrae libros exhibet. Vid. *Cel. Wolfi* B. H. l. c. p. 778. sq. Digna omnino lectu sunt, quæ *B. D. Hieronym. Kromayerus* in Scrutinio Relig. p. 76. §. 16. sq. ex hoc ipso libro de Judaismo recentiore, cujusmodi nostris temporibus exstat, excerpfit; (ceteroquin negari non potest,) inquit *V. Wolfius* p. 781. m. „si ab hypothesebus Judaicis, quas propinat (*Menasse*) legentibus, recesseris, commentationem hanc, ut ceteras omnes insignem lectionis, Judaicorum potissimum Scriptorum, quos in compendio fere exhibet, copiam, & variae doctrinae apparatus exhibere. Unde & Theoph.

„Theoph. Spizelius in Elevatione relationis Mon-
 „tezinianæ eum p. 13. Hebræorum sui ævi do-
 „ctissimum vocat, & alibi modestia ac laudabili
 „Scripturas veteris Testamenti explicandi studio
 „præditum esse ait, cui id tribuant, ut eum inter
 „Judæos ineptire desisse affirmant. Hugo Gro-
 „tius quoque in ep. ad ipsum Menassen exarata,
 „quæ exstat inter ceteras ejus epp. 1687. fol. e-
 „ditas, p. 564. profitetur, se scripta ejus non
 „solum cum summa utilitate legere, sed etiam
 „aliis commendare.“

R. Moses Nachmanides, Gerundensis Hispani-
 cus, per compendium *Ramban*, id est, *Moses bar*
Nachman dictus, itidem à *B. A. Pfeiffero* Hermen.
 S. p. 190. f. sq. inter conciliatores refertur. In-
 gentem librorum farraginem conscripsit, uti vi-
 dere est in consummatissima Bibliotheca Wolfia-
 na P. I. p. 876. seq. quosnam autem beatus Her-
 meneuta innuat, divinare non possum, adeoque
 filum abrumpere cogor.

CAPUT III.

De Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis.

I. **V**etustissimos Ecclesiæ Antistites Harmoniæ
 Biblicæ strenuos fuisse assertores, brevi-
 bus nunc demonstrare animus est. Sunt enim,
 qui, bello sacro occupati, in scriptis suis polemi-
 cis Ἰῶν γεγραφῶν συμφωνίαν summa ope defensi-
 tarunt. Ἀποφανῆ & ἐναντιοφανῆ, inquit *Gisb.*
Voëtius T. I. sel. Dispp. Theol. p. 48. „non pau-
 ca